

Notes du mont Royal

www.notesdumontroyal.com

Cette œuvre est hébergée sur « *Notes du mont Royal* » dans le cadre d'un exposé gratuit sur la littérature.

SOURCE DES IMAGES

Google Livres

CAROLI
PORÉE
DE SOCIETATE JESU ;
SACERDOTIS,
ORATIONES:
NOVA EDITIO AUCTION ET EMENDATIO.
TOMUS SECUNDUS.



PARISIIS,


Apud **MARCUM BODELET**, Bibliopolam,
è regione Collegii Jesuitarum, viâ
Jacobæâ, sub Signo Sancti Ignatii.

M. DCC. XLVII.
CUM PRIVILEGIO REGIS.

Notes du mont Royal

www.notesdumontroyal.com

Une ou plusieurs pages sont omises
ici volontairement.



ORATIO II.

DE

SATYRÆ.

UTRUM

SATYRÆ IN CIVITATE
bene morata, & quatenus admittenda sit?

Habita anno Domini. 1710.

UTRUM iniquitate hominum, an
Satyræ vitio fieri dicam, ILLUS-
TRISSIMI ECCLESIAE PRINCIPES,
PRÆSIDES ILLUSTRISSIMI,
AMPLISSIMI SENATORES,
CÆTERIQUE OMNIUM ORDI-
NUM AUDITORES ORNATISSIMI,
ut illam, cum plerique hodie in omni
scribendi genere vel dicendi adhibeant.

N iij

plerique tamen excludere, vix aliqui admittere se velle profiteantur? Quis enim aut Poetarum, qui ejus stimulis acuit epigramma, aut Oratorum qui ejus salibus condit orationem, aut Scriptorum qui ejus jocis aspergit disputationem, satyricum dici velit? Quid ego verear ipse magis, quam ne, de Satyrâ disserendo, Satyram vobis offerre videar?

Quonam igitur ex fonte tantum in illam invidiæ derivari putem? an ex ipso nomine, quod à Satyris illis procacibus & semiferis deduxisse multis credita est? At neque ipsa de nominis sui auctoribus confitetur, neque si confiteatur de Satyris, hoc tamen nomine concedat ipsi Tragœdiæ, quam ex ignobiliori appellatione nuncupatam esse constat. An ex generis humilitate ac propè infamiâ, quippe quæ ruri ipsa inter pocula ex fœdis maledicentiæ sordibus procreata dicitur? At ego illam festiva inter politionum hominum colloquiâ lucem primum aspexisse veriùs dixerim. Huic certè rusticitatem objecerit nemo, ex quo tempore in urbem à Lucilio, ab Horatio in Aulam tracta est.

Supereſt itaque ut in ipsâ ejus naturâ vel arte inhæreat aliqua vitii labes. At quid illa profiteretur aliud, niſi ſe inſec-

ORATIO ACADEMICA. *de*
tandis acrius hominum vitiis natam esse,
& in jocosis morum reprehensionibus
exercitatum? Inde tamen in illam odii
tantum profluxisse suspicor, & sentio.
Hinc est quod illam ipsius adversarii ca-
lumnia adjutricem, aliena fama perdi-
ciem, civilis otii luem, ac pestem nefa-
riam, & ab omnibus qui tranquillitati
publica consultum velint, validissime op-
primendam esse pronuntiant.

Nullosne defensores habet ac patronos?
Habet pauciores illos quidem, sed acer-
rimos, e contrario qui illam veritatis sa-
tellitem, virtutum propugnatricem, emen-
datricem vitiorum, magistram morum
optimam, & ab omnibus qui civili dis-
ciplinae provisum cupiant, diligentissime
retinendam esse contendunt.

Illam itaque alii e civitate prorsus ex-
terminari volunt, alii volunt in civitate
omnino retineri. Peccant utrique me-
quidem sententia, illi odio Satyrae ni-
mio, hi nimio amore. Sic enim mihi
persuasum est, & vero persuasum esse
vobis, aut facile persuaderi posse confi-
do, Satyram ex illarum esse rerum gene-
re, vel numero, quae cum natura sua
possint prodesse plurimum, tum aliena
culpae plurimum obesse possunt. Quem-
admodum igitur gladios, aliaque id ge-

mus tela nemo dixerit aut planè interdicienda, quòd illa possint ad injustam causam converti, aut omnino ac sine cautione concedenda, quòd ad justam defensionem possint adhiberi: Ita Satyræ nemo prudens asseveret, aut esse prorsus rejiciendam, quòd illà quis ad contumeliam abuti possit; aut contrà, quòd illà quis ad morum emendationem uti queat, esse omnino, & sine ullà circumscriptione recipiendam.

Quo circa positam hanc à me, neque, ut opinor, indignam vobis judicibus quaestionem, utrùm Satyra in civitate bene moratâ, & quatenus admittenda sit, ita definiti posse arbitror, ut statuamus, neque illam è civitate bene constitutâ excludendam esse, neque sine multâ cautione admittendam. Quæ duo in duplici orationis parte, sic disputabo, ut quantum in me est, nemini detur criminandi locus, aut nimio plura Satyræ concessa, dum illi faveo; aut dum illam castigo, nimio plura fuisse detracta. Adeste quaeso animis, AUDITORES, & Oratorem qui de Satyrâ dicendo à Satyrâ multum sibi timete debeat, humanitate & benevolentiam vestram confirmate.

PRIMA PARS.

CIVITATEM bene moratam recteque institutam cum appello, eam nolite intelligere, AUDITORES, quæ veluti commentitia illa Platonis Respublica integerrima sit moribus; qualem neque antea extitisse, neque ullam, postea (tanta humanæ naturæ pravitas est) extituram arbitror. Illam dico quæ optimis temperata sit legibus, à quâ vitiorum irritamenta, quantum fieri potest, excludantur omnia, in quam adjumenta virtutum quàm admitti possunt plurima, inducantur. Atqui Satyram in ejusmodi civitate adhiberi volo. Quid ita? quòd & multa ibi vitia oriri necesse sit, quæ non possunt cohiberi legibus, possint coërceri Satyrâ; & ea ipsa quæ cohibentur legibus, Satyrâ plerumque meliùs coërceantur.

Quàmlibet in præcavendis hominum culpis diligentes extiterint qui prima civitatibus jura descripserunt, mirum tamen quàm multa, quàm varia vitiorum genera legibus intacta reliquerint. Animadverterunt graviter in eos qui aliorum fortunas rapacitate, dignitatem contumeliis, corpus ferro invaderent; si qui magistratibus reverentiam, dominis obsequium,

parentibus pietatem, patriæ amorem; Superis Religionem denegarent, his multam, carcerem, exilium aliæque pro inmanitate scelerum supplicia interminati sunt. Qui peccarent cæteris in rebus, hos ut plurimum inultos omiserunt.

Nullane igitur præterea sunt vitia, quibus inquinentur hominum mores? Nullane quibus tollatur communis vitæ suavitas? Nulla quibus civitatum dignitas obscuretur? Existunt profectò multitudine innumerabilia, insulsite ridicula, pravitate intolerabilia, neque illa non prospexerunt animo conditores legum prudentissimi, sed & haud posse legibus cohiberi sapientissimè judicaverunt. Fingamus enim Lycurgum aliquem, aut alterum quemlibet cujusvis Reip. moderatorem has leges ære incisas palam proponere.

Nemo domi avarus esto: nemo adulationibus rem alterius captato: nemo improbitati larvam probitatis obtendito: nemo se & sua jaclantiùs predicato. Nemo in gestu agrestis, in cultu incompotus, in veste inelegans, in congressu insnavis esto: nemo denique ullâ in re, ullo tempore vel loco molestum se vel ridiculum exhibeto. Qui faxit, huic pœnam pro gravitate culpe, iudices irroganto.

ORATIO ACADEMICA. 157

Vestram fidem, AUDITORES, has leges qui viderit, an risum tenebit? An credet plus habituras ponderis, quam legem illam ab Atheniensibus adversus ingratos aliquando promulgatam? Ecquis enim reperietur Censor tam acer & diligens, qui horum violatores edictorum possit deprehendere, aut deprehenso justis animadversionibus emendare. Cogitate mecum aliquem magistrum (a) quem poterit mens vestra commentando effingere perfectissimum. Virum eâ celeritate intelligendi quæ longissimè disjuncta continuo pertingat; eâ memoriæ vi quæ numero infinita comprehendat; eâ judicii æquitate, quæ nullo inclinata pondere fatiscat; eâ mentis vigiliâ quæ nunquam sopita conniveat; eâ laboris patientiâ, quem nulla negotiorum multitudo obruat; eâ fortitudine animi, quam imago periculorum nulla deterreat: virum ad summa quæque natum, in minimis maximum, Reip. semper memorem, suû penè oblitum, pro patriâ & cupidum vivere, & mori non timidum: virum denique qualem ad hujus splendo-

(a) D D. Marc. Renat. d'Argenson, qui tunc temporis Lutetiæ Ædilitatem gerebat & qui postea Vicecancellarius fuit ac regionum sigillorum Custos.

rem Urbis & dignitatem singulari Dei beneficio his temporibus concessum esse gratulamur. At ego contendo neque illum, neque alios, si qui reperientur, huic similes viros, suam legibus quales antea descripsimus vim & auctoritatem asserturos. Quorsum ita? Quia nullis legibus coerceri possunt ea vitia, quæ minùs in temeritate & audaciâ, quàm in turpitudine quâdam & insulitate sunt posita.

Illa, illa scilicet aculeos Satyræ postulant, non justitiæ gladios. Joci castigari debent, non suppliciiis.

Satyræ est itaque stylum exercere in duros illos & sordidos patres familias, qui avidiores in colligendo, parciores in tribuendo, mercedem servis, sumptum liberis, victum sibi invident, itaque vivunt omnibus infesti, ut nemini faciant bene, nisi mortui.

Satyræ est confodere illos emptores nobilitatis pretiosos, qui quòd venalia habuerint & habeant omnia, genus ipsum pecuniâ credunt emi, qui se novitatem putant exuere, si titulos grandiores induant, atque in veterum dominorum possessionibus novi Domini superbissimè infideant.

Satyræ est nigro perfricare sale illos homines insulsos, simplicitatis, uti præ-

ORATIO ACADEMICA. 157
dicant, studiosos, & antiqui moris retinentes, revera invenustos, abnormes, rusticos, merum rus, & mediâ in urbe urbis egentissimos.

Satyræ est excutere viros illos politulos, calamistratâ comâ elegantulos, lorâ facie candidulos, totos mellitos, gestûs mollitiæ, vocis lenitate, odorum fragantiâ suavissimos, nimiâ demum suavitate insulforum insulsiſsimos.

Satyræ est personam detrahere illis simulatoribus virtutum, vitiorûmque dissimulatoribus callidis, qui probitatis specie improbitatem obtegentes, ad honorum fastigia humili obrepunt gressu; quique illud austerioris vitæ professione conſectantur, ut delicatè & molliter possint vivere.

Satyræ est mordere acriùs perfidos illos domorum exploratores, qui toti in eo sunt, ut sciant & nesciantur; qui ubi nacti fuerint homines ineptè credulos, in eorum familiaritatem immergunt sese, ut rem familiarem exinde subruant.

Satyræ est inſequi illos ſectatores otii laboriosos, quos hæc una sollicitos habet cura, ut nihil curent; quibus lucis pars optima in somnum, noctis in convivium, reliquum tempus in nugas pueriles abit; qui totam ita vitam instituunt,

ut fructum vivendi nullum capiant, amī-
cis omnem eripiant.

Satyræ est omnia denique persequi vi-
tæ genera, & quidquid pravi, absurdi,
inepti emendari legibus non potuit, hoc
notare, arguere, carpere, & carpendo,
si fieri potest, corrigere. Sic nulla erunt
vitia ab omni reprehensione secura. Sic
dum justitia liberabit urbem latrociniis,
Satyra purgabit ab ineptiis. Dum illa sce-
leratos configet edictis, hæc inficetos
dictis laceffet.

Nihilne præterea petetur ab hac præ-
sidii? Ipsi etiam justitiæ ad præcavenda
aut punienda scelera suppetias feret. Ne-
que verò illud ego affirmavi temerè, vi-
tia ipsa quæ cohibentur legibus, meliùs
sæpe coerceri Satyrâ, aut acerbiùs casti-
gari. Silent enim, silent aliquando leges,
Satyra nunquam obmutescit. Themidis
sæpe velantur oculi, neque velo simplici;
Satyra oculis semper intentis semper acu-
rùm videt. Judiciorum laqueos sæpe fraus
cludit, gratia expedit, aurum redimit,
potentia abrumpit. Satyræ aculeos non
declinant doli, non molliunt preces,
honores & divitiæ non retundunt.

Illam parcere nescia scelus armatum
adoritur in castris, ignaviam in tentoriis,
impietatem in templis, iniquitatem in

Judicium sellis, rapacitatem in Quæstorum mensis, mollitiem in divitum spondis, ignobilitatem in Rhedis, ignorantiam in Cathedris, vitium denique ubicumque est, ibi detegit, ibi impugnat, ibi confodit. Non eo quidem gladio quem adhibet ultrix justitia; at certè non imbelli telo. Cujus acies quam metuenda sit dicant Romani illi veteres, qui, quoties Lucilius stylo ardens infremeret, toties disfluebant sudore frigido; & qui modò severitatem legum spreverant impavidi, jam Satyræ dicacitatem, exanimati metu, horrescebant.

Dicat & Condæus ille magnus, tam formidatus olim Galliæ nostræ hostibus imperator, ut illos solo nomine terreret, propè dixi, vinceret, tam interritus mortis contemptor, ut illam media inter prælia nudo capite lacefferet, idèmq; Satyræ tam æquus æstimator, ut illius metu, metum quemvis alium superandum esse crederet; Qui congressurus cum hoste, unum hoc admonebat suos, ut sibi à brevioribus illis Satyris in trivio cantari solitis fortissimè caverent; ratus videlicet minùs hostilis gladii mucronem, quàm mordacis carminis acumen formidandum esse, capùtque morti potiùs, quàm Satyræ nomen objiciendum. Cùm

igitur tantum in eâ momenti sit ad incutiendum animis timorem ignominia acerrimum, quis illam in civitate bene constitutâ dubitet vocandam esse in societatem Justitiæ, tanquam adjutricem Legum ac vindicem?

Sed hîc reclamant osores Satyræ & indignantur illam adjungi Legibus, quæ Legibus exterminanda sit, comitem illam stare cum justitiâ, quæ pro jure non possit certare quin pugnet contra societatis jura, atque humanitatis.

Nam cur, inquirunt, homini privato liceat, in privatorum vitas & vitia inquirere? Cur civi liceat in cives quietos & inermes stylum minacem intendere? Flagitiosi sunt? illos conscientia angoribus permittite. Perfidiosi? illis ne crede. Molesti? hos fuge. Stolidi & inficeti? ab illorum congressu abstine. Egregia sanè, ut videtur adversariis, & æquitatis plena oratio, sed iniqua, meo quidem judicio, & ab humanitate alienissima.

Quærent quo jure in vitia & vitiis contaminatos homines animadvertam. (a) Quod ille Terentianus Chremes, hoc ego respondeo: *Homo sum: humani nihil à me alienum puto. Homo sum: ideoque*

(a) Terant. in *Heautontim. act. 1. Scenâ 1.*

hominum quidquid interest, hoc & meâ propter naturæ communitatem interesse arbitror. *Homo sum*: ideòque hominibus non modò inopiâ, sed vitio laborantibus multò magis opitulari meum est. *Homo sum*: hoc addo, *Civis sum*: hoc nomine civitati expurgandæ & ornandæ, quantum in me est, allaborare & licet & debeo.

Civis sum. Si procul ab omni contubernio & convictu in loca sola me recepissem, ibi forsitan liceret uni mihi vivere, ibi hominum ineptias ridere tacitè, vel miserari. Sed quia *civis sum*, quia sic ferunt vitæ meæ rationes, ut cum aliis hominibus consuetudinis vinculo sim conjunctus, hoc mihi commune munus cum cæteris, communi lege impositum reor, ut quidquid boni in cives conferre possum, hoc conferam; ut quidquid mali à civitate arceare possum, illud arceam: ut cuicumque vitio medelam quamcunque adhibere possum, illam adhibeam. Hoc postulat humanitas, hoc flagitat societas, huic voluntati jura suffragantur plurima: nulla refragantur.

At vero, si recta quæpiam igne corripitur, aut etiam vapore afflari videro, non possim filere sine crimine? Et mihi urbem undequaque ardentibus libidinibus

facibus deflagrantem conspicienti clamare non liceat? An si veneficos cibaria venenosa clam aspergere deprehendero, siam in societatem reus, si non accusavero? Et idem judicabor nocens, si consceleratos homines impiis impurisque sermonibus omnia polluentes objurgavero? Scelus est barbaros in mœnia irruentes non cohibere; & barbariem in literas, in mores, ab indoctis, à rusticis inductam abigere fuerit scelus?

Quærent scilicet quo jure homines quietos & inermes liceat carpere? At ego illud vicissim quæro, quo jure liceat civitatem flagitiis inquinare, & urbanitatem ex urbe tollere? Ergo licebit impunè perfidis fallere, voluptuariis otio marcescere, stultis desipere. Mihi veraciter loqui, nequitiam insectari, stultitiam increpare non licebit?

At enim sunt in civitate (si non humanis modò, sed divinis etiam Legibus instituta est) sunt Oratores sacri, qui profuscepto munere arguant vitia, & à vitiis homines, adhortando, minandòque, deterreant.

Non is ego sum, AUDITORES, qui negem in verbi divini præconibus ad emendanda flagitia virtutis inesse plurimam atque auctoritatis. Verùm illud quoque

quis negaverit, non omne delictorum genus ad emendationem illis esse propositum: & quemadmodum Scriptoribus Satyricis nefas est ea tractare, quæ ad Religionis dogmata pertinent, non modò propter periculum erroris, sed etiam propter argumenti dignitatem; ita Oratoribus sacris licitum non esse pravitates quasdam & ineptias dicendo persequi, non modò propter illarum ignorationem, in quâ ipsos versari licet & decet, sed etiam propter ipsam loci reverentiam. Illud deinde quis nescit homines plurimos non moveri piis illis objurgationibus, & ita vitiatos esse, ut nisi sanentur Satyræ salibus, omni profus medicinâ videantur insanabiles.

Quod ut perinde intelligatis atque ego sentio, advertite, quæso, AUDITORES, triplicis omnino generis esse censores, qui possint corrigendis moribus adhiberi, Oratores sacros, Philosophos, & Scriptores satyricos; qui omnes vitia impugnant, sed suâ singuli viâ planèque diversâ.

Orator facer quid in uno quoque vitio divinæ Legi contrarium, Philosophus, quid rationi dissentaneum, Satyræ Scriptor quid indecorum sit, explorat. Ille Dei mandata, alter rationis præscripta, hic

honesti leges proponit ac protegit. Agite nunc & huic triplici censorum generi tradamus unum aliquem ex illis fœneratoris Alphii aut mollis Epicuri discipulis; & cujus censurâ moveatur potissimum, observemus.

Sedeat ille primùm in Oratoris sacri conspectu, non dico lenis cujuspiam Oratoris & languidi, sed acris ac vehementis, qui de Religione cum dignitate differat, quem nunc aulæ urbs, nunc urbi aula invidet, quem utraquedicentem unanimi plausu excipiat. Hic divina è sacris codicibus in rapaces aut voluptuarios expromat oracula, & intentata utrisque supplicia proponat. Quid novus interea auditor? Annuet capite; clamabit *belle*, tum aliè convertet oculos, aut declinabit molliter, & inter crepitantia ultricis justitiæ fulmina placidè dormitabit.

Excitemus hominem, & coram gravissimo aliquo Philosopho sistamus. Consendat hic pulpitum, & vel Aristotelicâ methodo subtilia de moribus præcepta ærtis adstringat conclusionibus; aut Platonis in morem de temperantiâ aliisque virtutibus fusè laxèque disputet. Quid adhæc quæstuosioris disciplinæ aut sapientiæ pinguioris assecla? Ridebit magnum Aristotelem, divinum Platonem exhibebit.

ORATIO ACADEMICA. 169

Prodeat igitur tandem Satyricus aliquis mordacior ex Horatii aut Juvenalis scholâ recens, & cum acriore stylo, chartâque dentatâ homini sese offerat. Exerat aculeos in fraudulentas ejus artes, aut in voluptates ejus sordidas jocos emittat. Cernitis ut vix punctus exsiluit! ut indoluit! ut palluit! ut semianimis aufugit? Quod non itaque contorta Eloquentiæ sacræ fulmina, quod non vibrata Dialecticæ argumenta, hoc Satyræ mucro exertus præstitit.

Hic veram hominis naturam & indolem agnoscite, AUDITORES. Religionis terrorem comprimere potest: rationis frænos excutere potest: ignominia sensum nunquam aut vix unquam potest amittere. Dic illum flagitiis suis Deo exorsum, placidè feret; dic à ratione aversum, ridebit, dic inficetum & ridiculum, fremet, & frendebit. Usque adeò homines etiam ad cætera obduratos torquet & cruciat irrisionis metus!

Adeste nunc adeste, viri malè misericordes: & quod unum sanandis superest animis quibusdam & ingeniis remedium, statuite utrum ab illorum curatione removendum putetis? videte utrùm humanitatis sit, annon magis crudelitatis, succos ægrotis propè depositis abnegare, amaros

illos quidem, sed quò amariore, hoc salubriore? Quod tamen ita nolim intelligi ut nulla medicamenti sit temperatio, nullúmque in eo miscendo Satyricus teneat modum. Quam enim Satyram ad corrigenda plurima vitia, quæ sunt inemendabilia legibus, aut legibus minús emendata, utilem ac propè necessariam esse arbitror; tam existimo eandem, nisi certos intra fines coërceatur, posse civitatibus fieri exitiabilem.

Non satis est itaque illud quæsisisse primum & definivisse liceretne uti Satyrâ in bene moratâ civitate; nisi & quæratur illud alterum, atque definiatur quatenus uti liceat. Quod in alterâ orationis parte ita conabimur exequi, ut nos cum osoribus Satyræ, si quos fortè offendimus, in gratiam redituros esse confidamus.

SECUNDA PARS.

QUOD de telis ad feriendum idoneis præcipi solet Legibus, ut videatur diligenter quinam illis utantur in civitate; ad quid utantur; quâ utantur ratione; in quos denique utantur: hoc de Satyrâ fermè præcipiendum esse censeo, AUDITORES, ut caveatur sollicitè quinam illam adhibeant, in quæ adhi-

beant vitia , quânam adhibeant ratione , in quos demum adhibeant. Atque hinc iudicium esse volo , quatenus Satyram in bene moratâ civitate licitam existimari oporteat , aut illicitam.

Ac primò quidem ut Magistratus tela extorquent ex improborum manibus , ita Satyram nullis tradi velim , nisi probis civibus. Probos intelligo , non qui careant omnino vitiis ; quod quidem maximè deceat : ridendus siquidem ille est qui , ut ait poëta , *castigat turpia turpis*. Sed tamen quia potest etiam is docere meliora qui deteriora sequitur , probi sanè dicantur , quicumque sint amantes Reipublicæ , & ad scribendum solo civitatis emendandæ studio accesserint. Habeantur contra improbi , privatis quicumque utilitatibus , vel odiis ad notanda aliorum vitia proruperint. Atque hi ab isto scribendi genere omnino prohibeantur.

Etenim Satyra , si se his addixerit , dubitatis qualis deinde futura sit , virtutum satelles , an administra vitiorum. Intelligitis profectò nullam fore cupiditatem tam nefariam cuius in societatem non veniat ; cuius patrocinium non suscipiat. Illam avaricia producet in forum , ut innocentiam solis eloquentiæ sinceræ armis malè defensam obruat. Illam male-

Volentia in Aulam immittet, ut virtutis aditum ad honores præcludat aut jam delatos auferat. Illam in castra sua trahet Novitas, ut veritatem explodat, & à veritate propugnandâ bonarum partium homines omni contumeliarum genere deterreat.

Nihil denique tam syncerum erit, nihil tam integrum, quod non objiciatur venenatis Satyræ telis, & gravissimè violetur. Cujus rei (ut longissimè à nostris temporibus disjuncta meminerimus) tu mihi exemplo sis, Philosophorum, quos tulit profana antiquitas, sapientissime Socrates. Quis te æquales inter tuos ab omni flagitio remotior? Quis recti amantior? Quis insanientis Sophistarum sapientiæ hostis acrior? Quis crederet tuam disciplinam, ut in istis ignorantiae tenebris excellentissimam, ita potuisse infamari, ut ab ejus odio, ad odium tui, tuamque perniciem tota repente Atheniensium multitudo converteretur?

Sed quid non aggreditur tradita in malevorum manus Satyra? quò non progreditur? Virtute tuâ sæpe viceras inimicos, sed furentes viceras, non jocantes? Victus es tandem posteaquam repertus est falsissimus Poëta Aristophanes qui vel privatis adductus injunctis, vel pretio

conductus.

conductus , amarissimos in te aculeos defigeret , tuamque scholam velut exitialis & delirantis doctrinæ magistram palam & aperte ridendam proponeret. Tanta est Satyræ audacia in imponendis criminibus , cùm aliquâ cupiditate inflammatur ! Tanta illius efficacia ad conflandam viris etiam optimis invidiam , cùm mentitur lepidè , & sale Attico audientium vel legentium palato blanditur ! Tanta demum adhibenda cautio est , ut quemadmodum Cretenses armorum tractationem solis ingenuis permittebant , quòd à servis & servilibus ingeniis semper metuendum esse crederent , ita Satyræ scriptio solis concedatur probis civibus , quòd à malevolis & malâ cupiditate incensis hominibus semper timor impendeat , vixque possit fieri , ut Satyrâ qui malo utuntur animo , bene utantur.

En adeò stylum satyricum improbis jam eripuimus , AUDITORES , probis tradidimus ; nunc videndum est in quæ sit vitia exerendus. Etsi enim genera vitiorum ferè omnia insectari Satyra potest pro jure suo , ea tamen sola exprobrari volumus , quibus aliqua insit culpa ; quæque ut nascantur , ab humanâ voluntate pendeant , vel certè ut eradicentur.

Laudentur enimverò forma, ingenium, opes, cæteraque naturæ vel fortunæ munera; quoniam ita obtinuit adulandi usus, quò pauciora insunt in homine veræ laudis argumenta, hòc plura ex alienis quasi fontibus hauriantur. At sileantur illa vitia, quæ in nobis ita sunt, ut non sint ex nobis. In iis siquidem rebus unis argumentum reprehensionis est, ubi est delicti vestigium. Etenim quæ rusticitas atque inhumanitas est hominem irridere, quò deformi sit vultu, aut pravo corpore; quò tardiore sit præditus ingenio, aut humiliore loco procreatus. Ista qui exprobrat, annon ipsi naturæ videtur convicium facere, quæ in homine malè nato erravit potius, quàm in illam homo peccaverit. Quæ verò stultitia est ea reprehendere, quæ non possis objurgando corrigere! Thersiten cavillaris quòd sit pravâ & fœdâ facie; an refingendo fiet Euryalus? Quintilium notas, quòd pumilo sit corpore, an grallis insistet, ut repente fiat de Pygmæo Gigas?

Nunquàmne igitur pravitates id genus licebit jocando perstringere? Licebit aliquando. Si quis nempe vitia, quæ accepit ab aliis, aliquo suo vitio faciat sua. Si facie qui turpis est, Narcissum se credat; & veluti Polyphemus ille de formâ sibi

placeat, & à formâ placere ambiat. Si Therſite patre qui genitus eſt, Cecropiâ de gente ortum ſe prædicet. Si qui plumbeus & bardus eſt, cum elegantiffimo Telemachi ſcriptore certet. Si qui tardiore ad litteras ingenio natus eſt, cum literato illo (a) & omni eruditione atque humanitate perpolito Quæſtionum Alnetanarum auctore conferre ſe audeat.

At verò ſi quis naturæ aut fortunæ damna propriis virtutibus rependat; ſi quis humilitatem generis excellitate animi redimat; ſi quis atrocitatem vultûs ſuavitate morum abſolvat; ſi quis debilem oculorum aciem ac propè cæcitatem luce ingenii clariffimâ ita compenſet, ut ab hac laude multò magis, quàm ab oculorum vitio Homerus alter dici mereatur; ſi quis denique ingenita ſibi vitia agnoſcat, ſi quis illa ſtudeat emendare vel nequeat, illum commiſeratione dignum judico, non reprehentione. Illum Satyræ aculeis inſigniri veto, naturæ noceræ ſtigmatis jam ſatis inſignitum.

Hæc igitur Satyræ conſtituatur prima lex, ut nihil arguat, quod emendari non queat: hæc ſanciatur altera, ut in ar-

(a) DD, *Danielo Huetio Abrincenſium Epifcopo.*

guendo is solus adhibeatur mos & modus, qui sit ad emendandum appositus.

Sit itaque studiosa veritatis in carpendo Satyra. Vitiorum pravitatem ne minuatur dicendo; sed neque amplificando supra fidem exaggeret. Avarum inducat jejunia latranti stomacho indicentem creberrima (a), sed ne novas Ephemeridas novis jejuniorum diebus dispungentem exhibeat. Hominem irrideat cogitatione adeo suspensum atque ita abstractum à sensibus, ut (b) alia plane à gerendis faciat; sed non ut crepidam pro libro in peram immittat. Vellicet hominem à rationis semitâ deflectentem; sed ne illum veluti bipedum (c) quadrupedumque animal stolidissimum exagitet. Arguat virorum mulierumque mores perditos; sed (d) ne viros mulieresque omnes perditis esse moribus clamitet. Quis enim in tabellis à vero ita aberrantibus vitia videat sua! aut quem adeo pudeat in eâ civitate agnosci vitiosum, in quâ vix quidquam agnoscatur integrum; nisi fortè Æthiopus inter Æthiopem videri pudor est? Vividis sanè depingat omnia coloribus Satyra, sed veris.

(a) *Joan. Bapt. Moliere, in Comœdiâ quæ Avarus inscribitur.*

(b) *Joan. de la Bruyere. (c) Nicol. Boileau Despreaux. (d) Idem.*

Neque tamen ita sit verax, ut non sit verecunda. Apage fœdissimas quorundam vitiorum imagines quas offerre oculis, aut oblatas ferre impudentis est. Illam in reprehensione liberam esse fas est, nefas esse petulantem. Illam imitari decet ingenuas & liberales puellas, quas lædit ipsa impudicitæ appellatio. Illam pudeat Flacci, Juvenalisque nimium obsecutam esse ingenio, qui dum ævi libidines tenebricosas describunt nimis graphicè, arguunt impudicos sine pudore, & turpia turpissimè reprehendunt. Quod quidem minùs fortasse mirum videatur in his scriptoribus, quos etsi verecundos natura genuit, Religio tamen sua fecit inverecundos; quos etiam mirum sit flagitiosis hominibus adeò fuisse infensos, cum Deos colerent flagitiis adeò infames.

At quis hoc admiretur satis (finite me quæso, AUDITORES, justissimo dolori meo paulò liberiùs indulgere) quis satis hoc admiretur in hâc nostrâ Religione quæ (a) omnem immunditiam ne nominari quidem patitur in nobis, sicut decet sanctos, in hac, inquam, Religione castissimâ inventos fuisse Satyricorum interpretes, qui satyras illas spurcitie ex-

(a) Ep. ad Ephes. c. 5. v. 3.

crandas Gallico, hoc est, maximè verè
 cundo idiomate redderent; & notis illuf-
 trarent eruditis ad majorem, si Superis
 placet, adolescentium mulierúmque uti-
 litatem?

Quis satis hoc stupeat virum^(a) docendi
 facultate & diuturnitate celebrem, quem
 toties ex hoc loco dicentem laudastis,
 ut ipsum laudare mihi quoque liceat,
 quem assequi non licet, cujus hodièque
 desiderium in vestris omnium animis ex-
 citat orationis meæ tenuitas & infantia,
 hunc virum apud multos laborasse invi-
 diâ, quòd Satyricos scriptores dum expur-
 gavit omni obscœnitate, aliquâ sui parte
 mutilaverit?

Quis satis hoc indignetur interpreta-
 tionem Horatii, quam nobis tersam,
 elegantem, festivam & ad ingenium auc-
 toris elaboratam tradidit felix animi vir^(b)
 ingeniique, visam esse aliquibus mancã,
 quòd illam dum accuraret interpres, lo-
 ca quædam obscœna resecurit; & veluti
 apis mundissima, quæ^(c) *puris gaudet
 insistere*, omnes venenatos flores, si flo-
 res dicendi sunt, illibatos prætervola-

(a) P. Joseph. Juvenium è Soc. Jesu.

(b) P. Tarteron è Soc. Jesu.

(c) P. Tarteron Lemma suis libris præfixis;
 in quo apes adumbrantur, cum hac Epigraphe,
 Puris insistere gaudent.

verit? Quasi verò aut magna fieret scriptori injuria, dum prodit apud nos castior, quàm apud suos visus est; aut ingens fieret jactura in versibus impurissimis quos nemo pudens legerit, quin legisse continuo nolit; aut grande literis objiceretur periculum, ne deficient aliquando verba & sententiæ quibus nefanda libidinum disciplina commodè tradatur. O viros in retinendâ latinitate religiosos! utinam & in custodiendâ morum integritate perinde severos!

Tene verò superiore, sæculo Gallicæ Satyræ Princeps, (a) Reneri, adeo Christiani pudoris oblitum, ut scripta tua pinguis-
simis nequitia sordibus inquinaret? Non legeras, vel audieras, quæ de Juvenali scripserat magnus ille Reipublicæ literarum censor Julius Scaliger: *propter insensentiam quorundam Juvenalis versuum jubere se, vel optare toto opere abstinere virum probum.* Non intelligebas idem de Satyris tuis quàmlibet venustè scriptis fore proborum aliquando judicium?

Veniam tamen demus aliquam, si quæ dari potest, scriptoribus iis, qui aliena vitia ita olim reprehenderunt, ut reprehensionem ipsi mereantur. Peccaverunt errore magis, quàm voluntate. Arbitrati

(a) Regnier Poëta satyric.

funt Satyræ, dum nihil falsi diceret, & cere omnia dicere; & se, si magis prudentes forent, minùs Satyricos fore. Nondum extiterat scribendi magister eximius & artifex, (a) qui errorem istum exemplis & præceptionibus dedoceret. Nondum Gallia ad commendationem Satyricæ Poëseos felici partu extulerat acerrimum illum ingenio poëtam, judicioque prudentissimum, qui, veterum sectando vestigia, de palmâ cum veteribus certavit; qui sic eos imitatus est, ut reliquis imitandi sui spem ademerit. In quo cum admirabilis est naturæ artisque amica consensus; tum styli morumque severitas singularis. Quis illum in ea re imitari abnuat in quâ unâ non sit inimitabilis. Quod si reperietur adeò perfictâ fronte aliquis, ut Renerium aut Marotum (quos infamix causâ nomino) æmulari malit, coercendus erit profectò ab ipsis civitatum moderatoribus, neque permittendum, ut qui vitia emendare se profitetur, ita nefarias libidines exponat, ut rudes erudire, incogitantes admonere videatur.

Quid si autem Satyra in objurgando verax erit & verecunda, nullûsne præterea servandus erit modus? Annon miti-

(a) D. Boileau Despreaux.

ganda erit, ne fiat nimiâ indignatione acerbior. Hanc equidem furere non patiar, neque rabere Cynicorum in morem, qui, quod obvium quemque in foro & triviis petulanter incesseſent, à caninâ rabie nomen invenisse dicuntur. Neque illam velim induere stomachum & animos Juvenalis, cui semper masculâ bili jecur intumescit, qui labia non deducit, nisi ut ringat; dentes non exerit nisi ut mordeat; qui mordet sæpe, antequam allatret; qui ut prædam subodoratus est, in eam involat, jugulum petit, laniat, discerpit, dissecat, jacenti etiam & semianimi incubat. Illam ego sæpius adhibere malim jocos Horatii, quem nare sagacissimum effugiat nemo, sed qui dentes ad notam, non ad plagam imprimat, qui morsum ita temperat, ut dum risum elicit aliis, aliis fletum non extundat; qui prædam tunc denique omittit, cum excussit lepidè bellèque exagitavit.

Quoniam tamen vitia sunt adeò tetra quædam, ut stomachum lenissimis etiam moveant; & quoniam ad pudoris sensum ita obduruère quidam homines, ut nisi stringantur arctiùs, nihil sentiant; non veto acrem interdum esse Satyram, seria sæpe ridiculis miscere; nunc ab Horatio

fales , nunc à Juvenale aculeos accipere ; neque risum ciere modò , sed lacrymas etiam & sanguinem , si opus est , mordendo exprimere ; nulli demum flagitio , neque ullo modo parcere , dum ipsis parcat nominibus quæ nusquam appellari volo vel designari.

Scio , AUDITORES , non deesse , qui huic legi intercedant apertissimè , sèque veterum exemplis , & rationibus (ut putant) gravissimis defendant. Laudant Lucilium scilicet , qui Metellos , Horatium , qui Nomentanos , Persium qui Vettidios , Juvenalem qui Crispinos famosis versibus nominatim cooperuerunt. Egregios sanè & luculentos testes ! si non adhiberentur propriâ , ut aiunt , in causâ judices. Quòd si foret hîc auctoritatè pugnandum , quam multis paucorum exempla possim testimoniis refellere ? Vos appellarem , sapientissimi duodecim Tabularum Scriptores Decemviri , qui ex urbe liberrimâ libertatem cujuspiam malo , id est , maledico carmine norandi sublatam lege voluistis. Vos testarer , ætatis nostræ censors æquissimi , réque (a) imprimis Theophrasti interpres & æmule , cujus oculis natura se humana penitùs inspiciendam videtur obtulisse , quique de illâ meritis es opti-

(a) D. Joan. de la Bruyere.

mè, vel dum ejus virtutibus ad describenda ejus vitia usus es. Ex te sciscitarer, cur, cùm malos plurimorum mores argueris, nulla male moratorum nomina, quamvis sæpe, quamvis enixè rogatus, non dico vulgare, sed ne secreto quidem indicare volueris.

Neque te silentio prætermitterem, (a) vir morum scientissime, qui aliena vitia voce scriptoque diu insectatus es cum summâ ingenii laude, sine cujusquam offensione; qui cùm de amicitia verissimè scriberes, quòd de illâ sentiret verè, & veri amici exemplum præ oculis absolutissimum haberes, hanc secutus es legem, quam deinde de Satyrâ pulchrè differendo aliis posuisti, ut ex tantâ multitudine hominum contra amicitia jura peccantium nominatim reprehenderes neminem.

Sed quoniam certamus hîc maximè rationibus, expendamus quare tandem vitiosos homines proprio nomine adversarii designatos velint. Si secus fiat, inquiunt, metuendum erit ne se scripto Satyrico corripì nemo sentiat, sicque opera scriptoris tota pereat, atque industria. Honestus sanè metus. Sed quærere hoc liceat, dum timent viri optimi, ne se nemo agnoscat in tabellis Satyricis, annon hoc

(a) D. de Villiers, Author poematis de Amicitia.

verentur quoque ne agnoscant ipsi neminem? Sed parcant illi metuere: etiam, si à scriptore appellabitur nemo, qui tamen à legentibus appelletur, occurrent plurimi. De uno, quem novit, fiet poëta; de sexcentis quos ignorat, fiet mentio.

Audite enimverò quid conqueratur ille Theophrasti discipulus (a), in designandis iis quos laudat apertissimus, in tacendis iis, quos vituperat, tectissimus. Queritur repertos esse homines in suspicando tam malignos, quàm audaces, qui nomina personarum, ab eo uti conjiciebant descriptarum singula nuncuparent, & relata in indicem spargerent. Ubi autem repertos? In urbe fortasse vel in aulâ in quâ frequens erat. Et in aulâ, & in urbe, & Mortaniæ & Belesmæ, & in aliis regni oppidis ignobilioribus, quæ nunquam adiverat. Quorum autem nuncupata nomina? Illorum, credo, quos noverat. Et virorum & mulierum quos nunquam viderat, de quibus nihil inaudierat. Et dubitabimus eò plures corripere Satyrâ, quò notaverit pauciores; & contra hòc emendari pauciores, quò plures fuerint appellati. Quanquam quid emendari dico? Erravi, AUDITORES,

(a) D. Joan. de la Bruyere.

ORATIO ACADEMICA. 185
quos appellat Satyra, hos plerumque provocat ad furorem & insaniam, a vitio non revocat.

At enim (videte, quæso, AUDITORES, quàm nihil dissimulem) at enim graviore unius ignominiâ sanabuntur multi, quos simili tentatos morbo, continuò sollicitabit metus, ne simili vulnere configantur. Quemadmodum prædonis unius supplicio terrentur quotquot ejusdem societate latrocinii vel affinitate implicantur. Bene est & ad rem appositè. Verùm quantò pluribus & quantò certior ingruet timor, cùm propositâ in publicum vitiosi hominis imagine, dissimulatòque vero nomine periculum impendebit omnibus eâdem vitii labe contactis hominibus, ne oculis signentur singuli, & de singulis digito monstrante dicatur, *Hic est*. Quemadmodum fœneratores, quorum tanta hodie copia est, quanta numerorum penuria, multò terreantur magis, si latâ à iudicibus Sententiâ liceat in singulos inquirere, quàm si unus aliquis iudicio damnatus candente laminâ inuratur. Quoties enim exit Satyra in aliquod vitium, nullius vitiosi nomine proprio insignita, annon toties videtur institui quæstio in omnes quotquot illo vitio se implicuerint? Cujus quæstionis tot sunt

cognitores , non quot Satyrici qui pauciores sunt , sed quot lectores , qui erunt numero propè infiniti. Adeò ut ignominiaè metus non jam à scriptoribus aliquot , sed à totâ multitudine immineat , & ad illos omnes longè latèque pertineat , ad quos ipsa pertinet vitii communitas.

Qui quidem metus ignominiaè à Satyrâ sine illâ designatione nominis incussus , quàm sit ad mutationem morum efficax , meministis quicumque ingeniosissimo illi Comœdiæ Gallicæ (a) principi emendatas gratulamini mulierculas quasdam putidâ elegantiarum consecratione ridiculas.

Meministis multò magis quotquot eisdem objicitis concessam mulieribus , indulgentiâ virorum , nimiam vivendi licentiam. Quâ enim arte perfecit ille ut severa illa fœminarum disciplina non sensim , sed præcipiti ruinâ , collapsa sit ? An ex rigidioribus illis nuptarum satellitibus aliquem vero nomine appellavit ? Hoc si fecisset , plagam imposuisset ille quidem uni viro insanabilem : sed non tam exitiale pudori & modestiæ vulnus inflixisset. Personas in scenam induxit bene moratas , sed decipi timidas , & decipi faciles & ridiculè deceptas. Riserunt

(a) D. Moliere Auctori Comœdiæ , cuius titulus Gallicus : les Précieuses Ridicules.

ORATIO ACADEMICA. 183

omnes stolidorum hominum cautionem incautam ; & dum in fictis nominibus rident , ne vero & suo nomine riderentur , malè metuerunt. Inde quid accidit ? ut qui Arnolphi & Sganarelli metuerent videre , in Aristos evaserint , viros , faciles ac benignos , sponsisque amplissimam arbitrato suo vivendi potestatem fecerint. Quod delectandi studio profecutus & afsecutus est ille morum , non dicam , magister optimus , sed pictor admirabilis , cur non sequantur Satyrici Poëtæ cum saniore consilio & fructu salubriore ?

An verò quod de hominibus aliquo inquinatis, vitio idem de scriptoribus constitui oporteat , ut illorum parcatur nomini , quod humanitatis est , dum eorundem scriptis , quod est utilitatis publicæ , nequaquam parcitur , haud ita facile , neque tam audacter definiero. Movet enim me Satyrici supra laudati auctoritas , qui dum è Poëtarum vel Oratorum ordine multos scriptores infictos censoriâ virgulâ dimoveret , paucorum pepercît nominibus , parsurus haud dubiè , si parcendum crederet. Movet me præterea scribentium indoles , qui cum plerique ament se & sua plurimum , rarò se confiteantur errasse , aut errata corrigant , nisi disertè admoneantur. Movet me demum commu-

nis omnium auctorum conditio, quorum nomina perinde atque scripta sic fiunt juris publici, ut publicandi operis facultatem dum impetrant, animadversionis potestatem omnibus impertiant. Quia tamen scriptis inhærent vitia, non adhærescunt scribentium nominibus, nisi fortè aliquâ labe ac potissimum hæreticâ resperfa sint, nomina multò rariùs, quàm scripta nominari velim. Id certè non concesserim ita scriptores passim intrudi Satyris nullo indicato ipsorum opere; ut solo videantur ridendi nomine, neque appellandi, nisi appellatione suâ versum aut impleverint commodè, aut aptè concluderent. (a) In quo & gravis auctorum est infamia, & legentium de aliquâ Satyrici malevolentia suspicio non levis. Age enimverò quisquis auctoris cujuscumque nomen opportunè, importunè versibus inseris; nihilne scriptum ab eo est vendibile; si ita est, notasse semel sit satis. Quid illum carminibus tuis malè nobilitas? Permite hunc omnem cum infelici partu in tenebris delitescere. Si quid verò scripsit non ineptè? Quid illum ex toto reprehendis? Argue quod malum est; quod bonum est, lauda, vel omitte. Quòd si qui modò radit humiles terras debiliore penâ ad altiora

(a) D. Despreaux

poterit

poterit aliquando felici volatu confurgere, quid nomen ejus infamare properas? Cùm scripserit aliquid dignum meliore notâ, an recantabis opprobria? Non is certè mos Satyricorum est; rarò dicta revocant, exaggerant sæpius, & Horatianam illam de (a) Canidiâ palinodiam imitati, dum vulneribus mederi se fingunt, unguem defigunt in ulcere, & illud retractando exasperant. In tuis itaque Satyris semper legetur Poëta vel Orator nobilis infami notatus litterâ, ex quâ tamen apud æquos operum æstimatores ignominia trahet minus, quam tu colliges invidia. Quid nos autem ex istâ de appellatione nominum, prolixâ & forsitan molestâ disputatione conficiemus? illud opinor, AUDITORES, & rarò scriptorum, nisi appellatis eorum operibus, & nunquam cæterorum hominum, nisi fortè jam famosorum flagitiis, nomina esse Satyricis versibus oblinenda.

Restat ut illud postremo loco inquiremus, liceátne dissimulatis nominibus in quovis homines, nullâ generis dignitatise habitâ ratione, mucronem Satyricum distingere. Et sanè cùm Satyræ tanta sit ad emendationem morum vis & effi-

(a) Horat. Epod. Lib. edit. expurgata Ode 125.

cacia, & quoniam nulla conditio non iis abundat moribus, quorum necessaria sit emendatio, tantum tamque præsens remedium videtur esse nemini denegandum. Sed tamen, quia publica privatis longè anteponenda sunt commoda, unius omnino sunt & alterius ordinis homines, quos ut reprehensione minimè omnium indigere oporteat, ita per Satyram reprehendi nunquam liceat. Principes Imperiorum intelligo & Moderatores civitatum. Ad illorum fores possit accedere severa illa morum castigatrix, & in atriiis consistere, ut palpatores, invidos, obtrectatores, sexcentasque omnis generis pestes arceat longiùs à limine, & quovis satellite potentiùs submoveat: At ne sedentes in solio Reges, aut in tribunali magistratus audeat impetere.

Hoc in Neronem scenicum imperatorem, & ludos de se in theatris dare amantem sibi licitum esse crediderit Persius, qui tamen liberius dictum emendari à magistro passus est. Hoc in Domitianum adhibuerit Juvenalis, postquam formidatus immanitate suâ tyrannus, formidari morte suâ desinit: Hoc in viros Principes & quidem optimos impune audeant perditissimi illi transfugæ qui, desertâ patriâ, coaxant vicinis in paludibus, ubi quæstum faciunt conviciis,

& exterorum amorem populorum odio suorum professo conantur redimere. Hoc in magistratus æquissimos, hoc in Reges Religiosissimos modò clam & timidè, modò palam & confidentissimè usurpent illi pravorum dogmatum defensores, quibus neque sacra est Regia majestas; neque veneranda pastoralis dignitas; neque veneranda Pontificia auctoritas, neque sanctum quidquam vel religiosum est præter errores suos, errorumque antistites ac patronos. At liberalibus viris bonisque civibus grande videatur piaculum ac propè parricidium Rectores Imperiorum aut Moderatores civitatum carpere. Non modò quia illos revereri debemus quos, sui vicarios & quasi præsentis Deos nobis largitus est Deus optimus maximus: verùm etiam quia telis Satyræ violari non possunt illa Regnorum capita, quin tela ab his resiliant quodammodo, & in ipso corpore Reipublicæ ad summam perniciem & forsan ad interitum defixa inhæreant. Cùm enim civitatum imperique salus omnis ex auctoritate Principum in cives, ex reverentiâ civium in Principes, non secus atque vita hominis ex mutuâ corporis animæque conjunctione pendeat; eumque Satyra hoc præcipuum habeat, ut quos suis compunxit aculeis, derisus

vel indignationi opportunos. faciat, quæ deinde populorum erit observantia in Reges vel magistratus, quorum riserint vitia. vel horruerint: Quàm autem proelive est à risu ad contemptum, ab indignatione ad odium, ab utroque ad contumeliam, & ad extrema illa. deinceps progredi, quorum meminisse horret animus; quorum exempla ab iisdem initiis, hoc est. à libellis Satyricis profecta, & ad omnium sæculorum memoriam execranda non semel tu, infida Anglia, túque infelix Gallia, suppeditastis. Optandum illud quidem maximè, ut ipsi Regnorum præsidēs non careant reprehensionis beneficio, si quando illo indigeant; sed quoniam ope Satyræ curari nequeunt, nisi cum magno Reipublicæ periculo, præstat illos ab eâ omitti incuratos, quàm ad eorum morbos tam periculosum curationis genus admoveri. Neque tamen, vel tacente Satyrâ, suis carent illi reprehensoribus. Fronſ, oculi, vultusque populorum instar habent Satyræ, & illius vices sine voce obeunt, non sine vocis pondere. In his veluti in speculis vitia sua perinde atque suas virtutes possunt inspicere. Ipsa etiam laudatorum turba vel adulatorum, quæ viris principibus solet plurima obtinere, ipsos, si advertant, satis admonet, &

laudando idem præstat, quod Satyra vituperando. Quas enim vitutes in se laudari non viderint, has in se desiderari sciant; si quidem non laudari ex omni parte vitum Principem, ex aliquâ parte vituperari est. Quemadmodum si parva magnis conferre licet, existunt homines ejusmodi, quorum vita & institutum ita male-dicentiæ objecta sunt, ut quæ vitia sibi exprobrari non audierint, his se carere merito gloriari queant.

Quod si erunt aliquando summi rerum Domini, qui neque disertis populorum suspiriis, neque tacitis adulantum objur-gationibus admoneri se intelligant; atque hoc peccent audaciùs, quod se adversus Satyricorum stylum satis muniri gladio existiment; cogitent illi pertimescendum sibi esse aliud Satyræ genus, nullâ arte, vi nullâ eluctabile, Historiam scilicet, quæ ipsorum nisi magistra fuerit viventium (ut esse potest & debet) fiet deinde accusatrix mortuorum. Quæ, ubi è solio & vitâ excesserint, illorum vitia non jam velata splendore purpuræ, non armata imperii majestate, non defensa satellitum multitudine, sed nuda, aperta, manifesta in medium præferet, non eorum parceret cineribus, sed oculo scrutabitur impune curioso; & quæcunque flagitia vide-

banrur altâ nocte obruta, & quasi cum istis terrarum dominis contumulata, in lucem eruet aliquando, ad immortalem ipsorum ignominiam, ad consolationem populorum seram, sed justam, ad regnantium documentum insigne, sed formidolosum, sicque pœnas quas de vivis sumere non ausa est, nec debuit Satyra, has de mortuis pro jure suo Historia repetet sempiternas.

Felix ceteros inter Reges (a) Rex ille qui censor ipse sui censuram non timet; qui se contra stimulos Satyræ non armis protegit, sed virtutibus; qui se suaque facta non ex adulatorum grege cuipiam, sed Satyricorum principi describenda tradidit; qui fortunam utramque expertus, dictus est, judice Satyrâ, in utrâque magnus, dicendus Historiâ teste apud omnes ætates, pietate & Religione maximus.

Felices & civitatis hujus Rectores, qui cum sint maximâ in luce collocati, & ipso splendore suo conspicui, illorum videntur esse purissimorum instar syderum, quæ sæpe in se convertunt oculos ad admirationem, nunquam ad reprehensionem: quorum cursus hoc magis laudabilis, quò magis æquabilis; quorum lux

(a) *Innois Orator Ludovicum XIV. quæ Historiam regni sui Nic. Boileau scribendam tradiderat.*

èò jucundior , quò temperatior ; èò tolerabilior magnitudo , quò altior ; à quibus tamen in hoc discrepant illi , quòd èò majores appareant , quò excelsiores.

Felix & ipsa tantis talibusque magistratibus Respublica quorum similes dum obtinebimus , nihil metuendum erit , ne Satyra dentes sacrilegos in illorum moribus imprimat. Sed & sicubi occurrent his prorsus absimiles , illos revereatur tamen , & quemadmodum apud Romanos sacrosancta habebantur Tribunorum plebis corpora , sic nostrorum persona moderatorum , etiamsi vita minùs integra fuerit , sacra tamen & sancta esse censeatur.

Hæc fermè sunt , AUDITORES , quæ Satyræ , antequam in civitatem subeat , præscribenda esse crediderim. Quæ singula si observaturam se castè religiosequè promiserit , tum liber ipsi aperiatur in urbem aditus , sedes etiam in arce summâ huic propria perpetuæque concedatur. Ingrediatur illa itaque suis comitata jocis , sed suis quoque virtutibus stîpara. Illam antecedit acribus oculis vigilantia , & prapos civium mores diu noctuque in somnis speculetur. Adhæreat lateri sagax prudentia , & vitia ipsa secernens à vitiis , quæ , quoque modo notanda sunt , assi-

duè suggerat. Manum scribentis dirigat sancta Veritas & ad calumnias per fraudem deflecti ne sinat. Adsit Pudor velatâ facie, & velum ipsius obtendat oculis, ne flagitia observando, quædam videat non videnda, & legentibus subinde objiciat.

Accedat & Urbanitas, quæ jocos amariiores leniat aliquando, & Humanitas quæ à verorum appellatione nominum ad ficta detorqueat. Fremant interea circumquaque vitia, è suis educta latebris, suis nudata larvis, coloribus suis insignita, suâ turpitudine ridicula, suâ deformitate horrida, suâ pravitate abominanda fugiant lucem, nec tamen inveniant tenebras ubi à speculis, aut quod ad pœnam satis est, ubi à speculo Satyræ tuta delitescant. Ipsa denique magistratus reverentia magistratuum auctoritate nixa, bellum indicat improbis, præsidium offerat bonis, seque ad communem omnium utilitatem stylo armatam esse cogitet, ac totâ scribendi ratione profiteatur.

DIXI.

Notes du mont Royal

www.notesdumontroyal.com

Une ou plusieurs pages sont omises
ici volontairement.



INDEX ORATIONUM.

TOMUS SECUNDUS.

L udovico XV. Regi Christianissimo, recens uncto & coronato, Gratulatio. pag. 1	
Regi Christianissimo Ludovico XV. Regni moderamen capessenti Gratulatio. 35	
In ortu Serenissimi Delphini Gratulatio. 69	
De Eloquentiâ. Quare varia sit apud varias Gen- tes, mutabilis apud eandem Gentem Eloquentia forma. 115	
De Satyrâ. Utrum Satyra in civitate bene morata, & quatenus admittendâ sit. 149	
De Panegyricis Orationibus. 193	
Utrum jure, an injuriâ, Galli levitatis accu- sentur. 227	
Utrum informandis Heroibus sit magis idoneum Regnum, an Respublica. 272	

